

(1278) 1279, gener, 21

*Sibil·la, comtessa d'Empúries i senyora de Monells, cedeix a Arnau de Ribera, cavaller, el directe domini d'una feixa de terra venuda per Maria Sadurní de Madremanya a Bernat de Bellmirall, per 15 sous.*

ASD núm. 246, perg. orig., 210 x 240 mm.

Notum sit cunctis quod nos domina Sibilia, Dei gratia Impuriarum comitissa et uicecomitissa de Basso et domina castri de Monellis, gratis et ex certa sciencia per nos et omnes nostros heredes et successores cedimus, remittimus et donamus tibi Arnaldo de Ripparia militi et tuis et quibus uolueris perpetuo totum directum dominium et utile quod habemus et habere debemus in quadam fexia terre quam Maria Saturnina de Matremagna et Guilielma eius filia uendiderunt cum instrumento Bernarda de Pulcrospeculo et suis perpetuo, ut in instrumento uendicionis lacius continetur. Predictum siquidem donum et · cessionem tocius directi do minii et utilis quod in predicta fexia habemus tibi et tuis donamus et cedimus et facimus perpetuo, ita uidelicet quod habeas et teneas tu et tui et perhenniter possideas predictum directum dominium dicte fexie et ius quod in ipsa habemus, cum exitibus et ingressibus et tenedonibus et pertinentiis suis et augmentis et melioramentis ibi factis et faciendis pro libero alodio atque francho, sicut melius et utilius <lici uel inteligi potest ad tuum et tuorum comodum et utilitatem et ad omnes tuas et tuorum uoluntates omnimodas ibi et inde pro alodio francho et libero faciendas, saluis tamen et retentis illis duobus denariis que prestantur pro turnis predicto manso Saturnina ad adiutorium census quod nos accipimus in eodem, sine aliquo alio retentu quod ibidem non facimus, cunctis nostris uocibus et racionibus, utilibus, directis atque mixtis et omnium nostrorum in dicta fexia nobis pertinentibus perpetuo extinctis et penes te et tuos translatis et remanentibus in eternum. Pro quo dono confitemur a te numerando in solidum recepisse quindecim solidos barchinonenses monete de terno, excepcioni non numerate peccunie renunciantes, et si amplius inde deberemus habere, totum tibi et tuis donamus donacione inter uiuos, renunciando legi qua deceptis ultra dimidiam subuenitur et omni excepcioni doli et duplicis decepcionis, promittentes quod contra predicta uel ipsorum aliqua, nullo tempore ueniamus nec uenire aliquem nomine nostra uel racione faciamus seu permitamus iure aliquo siue causa, et si aliquo iure scripto uel non scripto huic contractui obuiam ire possemus, illi iuri penitus renunciamus.

Actum est hoc .xn. kalendas februarii anno Domini .MCCLXX. octauo

Sig+num predictae domine Sibilie, qui hoc laudamus et firmamus. Testes huius rei sunt Arnaldus de Basso, miles et Raimundus de Sancto Martina. Sig+num Guilielmi de Rippa, baiuli, qui hoc firmo in manu scriptoris inferius scripti.

Sig(s. man.) num Petri de Sancto Antonio, qui hoc scripsit mandato Raimundi de Sancto Antonio, publici scriptoris de Monellis, cum litteris confusis, rasis et emendatis in prima linea, ubi dicitur "gratis et ex certa sciencia" et cum raso in .n. linea, ubi dicitur "et", die et anno quo supra.

(s. man.) Raymundi de Sancto Antonio, publici scriptoris de Monellis, qui hoc subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 506-508